

æquiparatur præsentibus partibus valebit, *l. 47. pr. ff. de re judic.* Quamquam idem teneat, si in scriptura aliquid offeratur, ac postmodum Adversario communicatur. *Zaf. ad l. 6. §. 3. b.* Parili modo eundem effectum habebit confessio, si fiat præsentem Adversarii Procuratore, Tutore, Syndico &c. *d. l. 6. §. 3. inf. ad d. Mascard. concl. 347.*

§. XXXIV.

Acceptari quoque ab Adversario deberi confessionem Dd. Pragmatici statuunt, docentes aliàs non præjudicare confitenti. *Geil. lib. 1. obs. 55. num. 8. Ungebaur. comment. ad Decretal. tit. de confess. num. 6.* ubi vide solennem quæ adhiberi solet, formulam, *Myns. Cent. 4. Obs. 51.* Idque omnes affirmant de confessione simplici. De confessione autem qualificata dubitatur maximè, utrum ea pro parte acceptari, pro parte autem non acceptari queat? Melius est autem respondere cum *Perez. in C. b. t. n. 15.* affirmando, scilicet si separata sint capitula confessionis. *Gl. & Bart. in l. Aurelius. §. f. ff. de liberat. legat.* Quamobrem si v. g. quis confiteatur, se occidisse quidem Titium, verùm ad sui defensionem; ibi quoad primam partem, nempe homicidium, acceptari potest confessio, quoad partem verò secundam rejici, & confitens hanc porrò probare tenetur, si pro excusatione ea uti velit. *Covarruv. lib. 1. var. Resol. c. 2. num. 10.* & plures alii Dd. quos late refert *Hieron. Cavall. Pract. quest. 362.* Limita tamen hanc assertionem in confessione taliter qualificata, ubi singula membra coherenter connectuntur, quandoquidem inibi non procedet partialis acceptatio. *Perez. in C. b. l. n. 15.*

§. XXXV.

3. Commune utriusque confessionis requisitum est, ut